

27. Veritas autem Ecclesiae accidit ex conditione subiecti, partim ratione vitae & morum, quando ea professioni externa respondet: partim respectu doctrinae, ut vera sit Ecclesia Christi, quae doctrinam eiusdem puram retinet.

28. Non quidem quod in hac nulli sint mali admixti & hypocritae, siquidem ad eum puritatis gradum ea nunquam in hoc seculo pervenire potest: verum quod maior pars fidelium & credentium, quam malorum est numerus.

29. Pari ratione Falsa dicitur, non quae cum corrupta & depravata doctrina Christi, plane nullos verè pios & electos: sed pauciores tamen, varioresque in coetu errantium & hypocritarum longè maximo contineat.

30. Quod si enim contingat, ut verbum DEI atque Sacramentorum usus prorsus alicubi amittatur, ibi certè non falsa: sed nulla penitus amplius erit Ecclesia.

31. Ergò vera Ecclesia semper malos & hypocritas habet admixtos: sed respectu coetus verè fidelium, pauciores: Falsa contra, pios etiam & verè Electos suo ambitu continet: sed errantium ac hypocritarum multò plures. Vnde utriusque sua denominatio non à toto, sed à potiori competit.

32. Hinc πῶρισμα hoc inferimus: Quicumque à vera Ecclesia, quacunque de causa secessionem instituit, & Schismaticus dici & haberi debet: à falsâ verò, qualis Eliae temporibus Israelitica